

Kern 201a (1-14)

Kern 201 a



DE
EXPERIENTIA MEDICA,
TITULOQUE MEDICORUM, QUO
EXPERIENTISSIMI AUDIUNT,
BREVIS
COMMENTATIO,
UNA CUM EPISTOLA
AD FRATREM GERMANUM

PETRUM CHRIS-
TIANUM WAGNERUM,

IN CELEBERRIMA FRIDERICIANA MENSE
DECEMB: M. DCCXXIV. PRO GRADU DOCTORIS IN MEDICINA
RITE IMPETRANDO DISPUTANTEM, CA-
LAMO PER SCRIPTA GRATU-

LABUNDO

â

M. JOHANNE JACOBO WAGNERO.

Isleb. Typis Joannis Phil. Hüllmanni.



EXPERIMENTA MEDICA

TITULUS PRIMUS

DE FEBRE ACUTA

LIB. I.

COMMENSURATIO

LIB. II.

DE FEBRE ACUTA

STANISLAVUS

WAGNERUS

IN CLINICA

PROFESSORIS MEDICINAE

ET CHIRURGICAE

PROFESSORIS

LABORUM

M. JOHANNES JACOBUS WAGNERUS

Leipzig Typis Joannis Th. Neumann





§. I.




Non certè immerentes, aut indigni, viri præclarissimi artis medendi periti, experitorum seu experientissimorum titulo superbiunt, nec temerè defraudandi hac laude sunt ii, qui in rimandis naturæ arcanis, aut reperiendis mediis, quibus labascanti sanitati subveniendum, operam consumere omnem solent.

§. II.

Unde id nominis indepti sint, ipsum eorum nos institutum conducet: Cum enim corporis structuram, sanitatem, ægritudines, harumque potissimum genera, signa, phænomena, juxta ac herbarum vires, & ex his conficienda aliaque medicamina indefesso studiò scrutentur, rursus verò ea explorata habeant atque promptâ memoriâ teneant, quendam experientia sibi comparant habitum, atque experientissimi audiunt. Ac-

)(2

ce



cedit, quod id sibi imprimis datum credant, ut indefessa experientia affiduitate ac consuetudine res generi humano utilissimas conquirant undique, probataque experimenta ad artis suæ ductum facta nobiscum communicent; hinc vero non minus eadem experientiæ laude digni habeantur par est.

§. III.

Jam ad ipsum hoc institutum quod attinet, rectissime quidem eo studio & sibi & sanitati nostræ, quidquod & literato orbi consulunt. Scilicet experientia valemus plurimum in omni vitâ. Ut civitati bene regendæ experientissimi quique aptissimi habentur optimique: ita quibus corpus curandum traditur, ut prudentia medico dignâ, judicio subactò usuque rerum instructi sint, res ipsa postulat, quippe quos, nisi res in comperto habeant, multifariam hallucinari oportebit.

§. IV.

Nolo derogare illis, quibus sagacia præ aliis præcordia natura finxit, ut haud infelici conatu quidvis quandoque perficiant, egregiaque sui in tractandis rebus ingenii edant specimina; at vix terni tamen, qui propriis viribus superstruunt singula, aut neglecto experiendi studio vel aliorum observatione sibi dijudicanda expediundaque sumunt, ad metam ritè perveniunt. Sæpè incautos reddit nimia vel confidentia vel præcipitancia, quos cautiores redderet, si quod ipsi pretium statuerent, experientia. Nam juxta tritum istud ignorantia medela censenda est, quanto magis sagacium erit magistra?

§. V.




§. V.

Sed hæc luce meridianâ clariora sunt ; medicorum autem esse experiri quiduis & experientiam sequi, prorsus nullo est dubium. Originem artis medendi dum] consideramus, experientiam non minus, ac quidem necessitatem offendimus, quarum utrique natales debet suas. Supererat equidem primis mortalibus quâ corporis quoque integritatem lapsu debilitatis, aliqua scientiæ rerum naturalium & salubrium scintilla, enim vero quæ Adamitica illa accreata sapientiâ longè minor extitit. Quapropter quæ sanitati conducerent, nec indubitatè sciebant, nec adhibendi prudentia ea eis fuit, quæ experientia facillè carere poterat. Inde patet, antiquissimos mortalium & morborum phænomena & naturæ vires observasse, dein observatione crebra profecisse. Accedit ad hoc, quod non nisi explorando experiendoque edocti sint, quænam remedia his illisve malis essent opponenda, aut ejusnam vis in depellendis singulis sese potissimum exferret. Id quod ipse Celsus indigitat, ingenue enim fatetur: Experimenta medicinæ primo inventa, dein homines circa ea philosophatos esse. Dies postmodum diem docuit, nam inventis facile fuit addere, usque dum ipsa scientia medica in formam artis redacta & empiricæ dogmatica addita esset ab Hippocrate, medicorum principe, qui primus eam professus esse perhibetur.

§. VI.





§. VI.

Nec nostra ætate experiendi studium insuper habent, qui se medicis annumerant, nec habere omnino debent. Eundò per singulas artis partes ad Theoriam æque ac Praxin spectantes, facile id evincerem, nisi apud omnes res in confesso esset. Unde enim tot inventa antiquis incognita, utpote sanguinis circulatio corporis structuræ, vasorum, ductuum &c. penitior cognitio, nisi à præstantissimorum nostrorum medicorum experiendi diligentia ac sedulitate observandi, quâ veteribus palmam dudum præripuerunt? Ecquod vero inde ad artem ipsam incrementum, quæve ad physiologiam & pathologiam facta sit accessio, quis inde ad chirurgiam ac therapeuticam ipsam redeat fructus, paucis hisce lineolis edifferere haud quaquam valeo, testem vero celeberrimum Buddeum nostrum habeo, accuratiorem hominis cognitionem medicis nostris non sine laudis commemoratione acceptam referentem. † Qua de causa optandum omnino esset, ut præstantissimi quique experientissimique medici, Hafnien-sium (qui acta medica Hafniensia edidere) ut & academiæ Leopoldinæ sociorum exemplo †† suas nobiscum communicarent observationes æque ac experimenta, iis etenim dubiis atque occultis quibusdam naturæ arcanis non parum lucis affusum iri mihi persuasum habeo.

§. VII.

† Tom. 2. phil. instrum. Cap 1. §. XLX.

†† De his rectè pronunciat: Le nouveau journal des sçavans, loquens de instituto eorum mens. Januar; 1694. artic. VI. Ils ne pouvoient jamais nous donner dececote là une nouvelle plus agréable; & je les en remercie au nom de tous les sçavans, sans craindre qu'ils me de favouent.





§. VII.

Ad practicam autem quid faciat medicinam experientia, ex jam dictis aliunde constat. Unicum tamen addendum reor. Nimirum non eadem locorum corporumque humanorum natura est, quam vel æris temperies, vel vivendi ratio variè adficere solet. Ad hæc omnia si probe medicus attendat, quid inde in rem suam medendique methodum profuatur utilitatis, experitur. Id quidem & artem ipsam auget & artis fundamenta firmat indies, & experientia denique ut & prudentia laudem medico conciliat. His quoque experientissimi titulo se dignum demonstrat, immò dignum, de quo Homericum istud: *ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀνιάξειος ἄλλων*, jure prædicetur.

§. VIII.

Longè vero aliter sentiendum esse de iis, qui Theoria destituti præsidio, nec philosophia, cæterisque ad artem medicam prærequisitis, dein & medendi legibus probe imbuti, solâ ἐμπειρίᾳ nituntur, res ipsa docet. Procul omninò esto ab hoc laudis præconio titulove imperita empiricorum secta, quæ quidvis experiri solet ipsa imperitissima.

§. IX.

Equidem me haud fugit, specioso hos uti aut abuti potius experientia titulo. Medici audire cupiunt, usuque rerum ea, quæ alii in scholis percepere, impetrasse sese affirmare audent. Nullo proinde fundamentò nixi vel præstantissimorum meden-

dendi leges, methodum, consilia, ipsaque medicamina nihili faciunt, interque anicularum confessum suspecta reddunt. At helleboro his aliquando opus est, eaque propter in scitiæ meritò insimulantur, quo nomine medicis pariter ac philosophis plerumque vapulant, vix enim conscientia rationem habere videntur, aut pensasse unquam, quantum studii scientia medica postulet, experientia autem titulum injustè sibi arrogant, dum nondum ad ingenii nomen pervenerunt.

§. X.

Nec rarò cæcutiunt aut in praxi falluntur ejusmodi homines, uno semper proprio oculo, nunquam pluribus cernentes. Experimenta putà per mortes faciunt, dicente Plinio, discuntque periculis nostris morborum sæpè ipsi incertissimi. Prostant exempla eorum lat multa, quorum corpora torsisse potius, quam curasse leguntur audaces ejusmodi medicastræ. Etenim incautam fallunt plebeculam materia medicæ apparatus ostentatione, membrorum resectorum morborumque depulsorum expositione, re ipsa aut fumum vendunt, cum circumforanea quadam loquacitate polleant & jactabunda experientia instructi sint, aut inconsultâ ratione quidvis tentantes, morbos augent inque vitæ discrimina ægrotantes adducunt, ipsi vero corde premunt, quod Norimbergæ olim rusticus quidam empiricus in ore habuisse fertur: Mundus vult decipi.

§. XI.



§. XI.

Sed obstat forte quorundam empiricorum in ipsa praxi dexteritas, quo minus solo empiriæ nomine suspectos esse censeamus. Enim vero res omnis ad bonas medendi leges redit. Nam si vel maxime restituisse aliquibus sanitatem perhibeantur, verè tamen in eos illud Aristotelis quadrat: experientia artem facit imperitia casum † nonnunquam bonum. Optime itaque reb. pub. suis consulere Veneti alique, qui non nisi probis eruditisque medicis facultatem medendi faciunt, quibus si accensendi sunt, quorum industriâ ad exemplum Regiæ societatis Anglicanæ, ne quis empiricorum sanitati civium obsit, lege cautum est.

§. XII.


At de his plura dicere nihil attinet. Feras mihi dicturo præstantissimi quique dudum fecere medici, maximè illi, qui cum celeberrimo apud Lipsienses Bohnio aliisque officia boni medici inculcarunt, scriptis ob eam rem eruditissimis in vulgus editis. Horum, *mi Frater*, monitis ita hactenus locum reliquisti, ut ab empiricorum audaciâ explosaque inter omnes consuetudine abhorrueris, studiisque, quibus docti ac probi medici nomen aliquando tueri posses, te totum dederis. Quod si vero nondum penitus experientiæ eorum

) () (

asse-


† lib. I. Metaph. 5





affectus es laudem, certè penitiùs es secutus, nec ita sequi hodienu[m] desistis, quin ad altiora indies adspirares. Ne quid enim dissimulem, Curia[rum] Variscorum, qua[rum] nobis patria est, strenuè in linguis addiscendis æque ac philosophiæ rudimentis percipiendis desudasti, præceptoribus usus doctissimis, fidelissimis. Hinc, editis diligentia[rum] scholastica[rum] speciminibus publicis, non sine laude dimissus, ad fratrem nostrum natu[m] maximum longè carissimum, ecclesiæ Leucoschirmbacensium in Thuringia Pastorem, M. JOH. MATTH. WAGNERUM, te patris imprimis hortatu contulisti, is te quidem Philosophiam, quam ipse olim Lipsiæ professus erat, privatos inter parietes privato studio edocuit. Annuo, & quod super est, exacto spatio, in Hallensem academiam à fratre ablegatus, ne illotis ad artem medicam accederes manibus, integrum iterum annum philosophiæ & mathematicæ tribuisti, cum, nè hospitem planè in physicis animum Halam afferres, Thuringiæ metalli fodinas, subinde & Mansfeldicos nostros montes, itidem aut herbarum legendarum aut alia quæque perlustrandi ergo, antea[rum] visitasses. Dehinc his studiis anatomicum ipsumque medicum junxisti. Adscriptus autem es discipulorum numero *Magnifici et Excellentissimi Koscovizii*, cujus paternam in te propemodum & humanitatem & benignitatem nunquam satis deprædicare potero, quare eidem & hoc ipso publicè gratias jure meritoque ago. Nam biennium cum Halæ egisses hætenus, tibi que frequentior ad eum paruisse[rum] aditus, domum suam te postmodum recepit, sive se-
etio





ctio aliqua, five operatio chirurgica peragenda esset, ad manum habuit, publica æque ac privata institutione impertivit, tandemque autor tibi fuit, ut hoc ipso anno ductum salivalem ab ipso detectum, sub ejusdem moderamine, è cathedra disputatoria defenderis. Sic exantlatis laboribus, *mi Frater*, studiisque ritè tractatis, tandem ad eum honoris gradum ascendisti, quo hodiè doctorum judicio dignus existimaris, quove te ipsum, edito nunc non infausto conatu, altero specimine, non indignum demonstras. Impetras quippe privilegia Doctoralia publica, veluti diligentix atque laborum testimonia, documento futura bonis omnibus, qualis olim in patriam redux futurus sis, aut quibus eidem studiis prodesse possis. Quì verò de laboribus peractis non impensè gauderem? Quì committerem, ut benefici tui manu- ductoris benignitas nostros lateret, cum nihil eum, quod ad te aut erudiendum, aut ornandum spectabat, fecisse reliqui optimè noverim? Quì tandem tibi de honoribus, quibus mactaris, non animitus gratularer? Macte igitur, ut soles, experi- entissimorum ulterius insiste vestigiis, nec enim te laborum pœnitebit unquam, nec diligentia fructu carebit tua, nec deni- que patria conatibus favere tuis desistet. Hæc si impetrave- ris, quin ad quod aspirasti honoris nomen nunquam non tueri cum laude possis, nullum planè mihi est dubium! VALE,



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



1020







PICA





11

DE
EXPERIENTIA MEDICA,
TITULOQUE MEDICORUM, QUO
EXPERIENTISSIMI AUDIUNT,
BREVIS

COM M E N T A R I U M

UNA CU
AD FRAT

PETRU
STIANUM

IN CELEBERRIMA

DECEMB: M. DCCXXIV. PRO

RITE IMPETRAN

LAMO PER

L

M. JOHANNE

Isleb. Typis J

